

hypostasim significat: sed propter identitatem secundum rem hypostasis et essentiae in divinis persona potest poni pro essentia in singulari, non autem in plurali, quia repugnat unitati essentiae: unde ista distinctio quam Magister ponit, magis attenditur secundum usum nominis quam secundum diversam significationem ejus.

Ideoque Augustinus, causam dictionum discernens, dicit tres personas esse unam essentiam, vel ejusdem essentiae. Hujus ratio est, quia essentia et persona possunt considerari secundum quod sunt idem re in divinis et sic dicimus tres personas unam essentiam; et secundum quod ratione differunt, et sic dicimus eas esse ejusdem essentiae, non tamen eadem essentia: quia haec praescriptio ex denotat habitudinem causae efficientis, vel materialis; sed in genitivo potest intelligi habituudo cujuslibet causae. Et quia essentia se habet ad personam per modum causae formalis, ideo dicuntur personae unius essentiae, non ex essentia una. *Ut hic personae nomine proprietates personae intelligatur.* Hoc non dicitur quantum ad proprietatem significationis, sed quantum ad identitatem rei: quia in Deo idem est proprietates distinguens et persona distincta, secundum rem; et ideo nomen personae pro proprietate poni

potest, et communiter locutionibus acceptio hujus nominis persona in illis variationibus: quia cum dicimus. Alia est persona, vel plures personae, significatur persona ut numerata et distincta; et ideo convenienter accipitur pro hypostasi. Sed cum dicitur, alius est in persona vel pluraliter (1), significatur ratio distinctionis, et hoc convenientius aptatur ad proprietatem.

Non est proprus aliquis in Trinitate gradus. Contra. Augustinus (9 Confess.). Pater et Filius non differunt in substantia, sed tantum in gradu.

Praeterea, sub denotat gradum. Sed in Filio dicitur esse subauctoritas. Ergo etc.

Est dicendum, quod cum gradus importet ordinem dignitatis secundum sub et supra, in divinis proprie gradus non potest concedi: unde dicitur in Glossa Exod. 20, 26, super illud: Non ascendes ad altare meum per gradus; Per gradus ad altare ascendit, qui Filium minorem, Patrem majorem facit. Augustinus autem large gradum pro ordine accipit, sicut causam pro principio. Subauctoritas autem non invenitur a sanctis in Filio posita: unde non videtur proprie esse dictum.

(1) Al. personaliter.

DISTINCTIO XXVI.

De proprietatibus personarum, sed prius de hoc nomine hypostasis.

Nunc de proprietatibus personarum, quas frequenter in hoc tractatu commemoravimus, aliquid loqui nos oportet. Sed primum audiamus quid de hoc nomine hypostasis Hieronymus dicit. At enim sub hoc nomine venenum latere; sed hoc dicitur secundum quod haereticis eo utebantur ut simpliciter dicerent, scilicet pro persona et pro essentia; ut sive diceretur una tantum hypostasis, sive tres, minus peritos ad inconvenciens delincent: cum non erat hoc nomen ita apud catholicos valentum, nec ita ejus significatio determinata, ut modo. Et ideo Hieronymus dicit, hoc nomine non utendum fore sine distinctione vel expositione, tunc scilicet quando cum haereticis contendeatur, ita scribens (de Fide cath. ad Damasum Papam, ep. st. 37): « Ab Arianorum praesulo, hypostaseon, novellum nomen, a me homine Romano exigitur. Interrogatus, quid tres hypostases arbitrentur intelligi. Tres personae subsistentes, ajunt. Respondemus nos ita credere. Non sufficit eis sensus, ipsum nomen effragant, quia nescio quid veneni in syllabis latet. Clamamus: Si quis tres hypostases, sive unam hypostasim usiam intelligens, non tribus personis tres hypostases dicens sub nomine pietatis tres naturas conatur asserere. Sufficit nobis dicere unam substantiam, et tres personas, perfectas, aequales; taceamus tres hypostases, si placeat. Nomen hoc non bonae suspicionis est, cum in eodem verbo sensus dissentiant. Aut si rectum putatis, tres hypostases cum interpretationibus suis debere nos dicere, non negamus; sed nihil credite, venenum sub melle latet. Transfiguratur enim se angelus Satanae in Angulum luce. » (2 Corinth. 11.) His verbis non negat ostendit esse nomine hypostasis; sed haereticos eo prave usos ostendit, contra quos cautela operis erat in distinctione significatio; alioquin sibi contradiceret, qui supra tres hypostases conficitur.

De proprietatibus personarum, et de nominibus earum relictis.

Iam de proprietatibus personarum videamus quae etiam notiones sive relationes in Scriptura plerumque dicuntur, in illa sancta Trinitate, quae ideo a nobis repetitur, ut cordi nostro tenacius infigatur. At Augustinus (Fulgentius, in lib. de Fid. ad Petrum, cap. 1): « Aliud est genuisse quam natum esse, aliudque est procedere quam genuisse vel natum esse. Unde manifestum est quod alius est Pater, alius Filius, alius Spiritus sanctus. (Et cap. 2.) Est et proprium solius

« Patris, non quia non est natus ipse, sed quia unum Filium genuerit; propriumque solius Filii, non quia ipse non genuit, sed quia de Patris essentia natus est; proprium vero Spiritus sancti est, non quia nec natus est ipse, nec genuit, sed quia solus de Patre Filioque procedit. » Ecce breviter assignavit tres proprietates unam personarum, quarum una non est alia. Hoc enim significavit cum dixit: « Aliud est genuisse quam natum esse aliudque procedere; » id est, alia proprietates sive notio, est generatio, et alia nativitas, alia processio, quae aliis nominibus dicuntur paternitas, filiatio, spiratio. Has proprietates designant nomina personarum, scilicet Pater, Filius et Spiritus sanctus, quae relativa sunt et ad se invicem dicuntur, quia notant relationes, quae non sunt Deo accidentales, sed in ipsis personis ab aeterno sunt immutabiles, ut non modo appellationes sint relative, sed etiam relationes sive notiones, in rebus ipsis, scilicet in personis, sint.

Quod non omnia quae de Deo dicuntur secundum substantiam dicuntur, quaedam enim secundum relationem dicuntur, nihil tamen secundum accidens.

Quaecirca sciendum est, non omne quod dicitur de Deo, dici secundum substantiam; quia quaedam dicuntur secundum relationem, quae non est accidentis, quia non est mutabilis. Unde Augustinus (in 5 lib. de Trinit., cap. 4), ait: « Nihil in Deo secundum accidens dicitur, quia nihil ei accidit. Nec tamen omne quod dicitur, secundum substantiam de Deo dicitur. In rebus creatis atque mutabilibus, quod non secundum substantiam dicitur restat ut secundum accidens dicitur; in Deo autem nihil quidem secundum accidens dicitur, quia nihil in eo mutabile est aut amissibile. Nec tamen omne quod dicitur de Deo, secundum substantiam dicitur. Dicitur enim ad aliud, sicut Pater ad Filium, et Filius ad Patrem: quod non est accidentis, quia et ille semper est Pater, et iste semper est Filius, et ita semper, quia semper natus est Filius, nec coepit unquam esse Filius. Quod si aliquid quando esse coepisset, aut aliquando desineret esse Filius, secundum accidens diceretur. Et quia Pater non dicitur Pater, nisi ex eo quod est ei Filius, et Filius non dicitur Filius, nisi ex eo quod habet Patrem, non secundum substantiam haec dicuntur; sed ad invicem ista dicuntur: neque tamen secundum accidens: quia et quod dicitur Pater, et quod dicitur Filius, aeternum atque incommutabile est eis. » Ecce aperte his verbis ostenditur, quaedam dici de Deo secundum substantiam, quaedam secundum relationem, nihil tamen secundum accidens. Ostenditur etiam proprietates

Patris esse quod habet Filium, et proprietates Filii quod habet Patrem. Ideoque cum dixit aeternum et incommutabile esse quod Pater dicitur, et quod Filius dicitur, ita intelligi voluit; id est, proprietates quae Pater est Pater, et proprietates quae Filius est Filius, aeterna est et incommutabilis: quia et Pater semper est Pater et Filius semper Filius. Unde et Hilarius proprietates personarum assignans in lib. 11 de Trinit. (circa med.) ait: « Si semper Patri proprium est quod semper est Pater; necesse est semper Filio proprium esse ut semper sit Filius. Ubi enim semper Pater est, semper et Filius est. Ergo qui non semper Pater est non semper genuit. » Item in eodem: « Nato Deo manifestum est proprium esse, quod Filius est. »

Quare dicitur esse proprium Unigeniti quod est Filius Dei, cum etiam homines sint filii Dei.

Hic quaeritur, quomodo dicitur proprium nato Deo quod est Filius Dei, vel genitus ex Deo, cum etiam homines filii Dei dicuntur et sint, secundum illud (Psalm. 81, 6): « Filii Dei excelsi omnes; » et ad Moysen de populo Israel Dominus ait (Exod. 4, 22): « Filius meus primogenitus Israel. » Sed magna est distantia. Homines enim filii Dei sunt factura, non nativitate proprietate; Deus autem Filius originis proprietate Filius est, et veritate nativitate, non factura, vel adoptione: et illi quidem ante sunt quam filii Dei sint; sunt enim filii, non nascuntur filii Dei. Unde Hilarius solus Deum natum originis proprietate, Deum Filium ostendens, inter ipsum et homines filios Dei evidenter distinguit (in lib. 12 de Trinit., non longe a princ.), ita dicens: « Vero Deo Patri, qui ex Deo nascitur, vere Filius est. Et nos quidem filii Dei sumus, sed per facturam. Fumus enim aliquando filii iracundiae; sed filii Dei per adoptionem effecti sumus, potius quam nascimur; et quia omne quod fit antequam fiat, non fuit, nos cum filii non foimus efficiuntur. Ante enim filii non eramus, sed per gratiam facti sumus; non nati neque generati, sed acquisiti: acquisivi enim nos Deus sibi, et per hoc dicitur nos genuisse. » Genuisse enim Deum filios, nunquam cum proprietate significatione cognoscimus dici. Ex adoptione enim homo factus est filius Dei, non ex generatione, neque et proprietate est, sed nuncupatio; ac per id non vere Filius est, quia nec proprie natus dicitur, nec semper fuit filius. Unigenitus autem Deus nec fuit aliquando non Filius, nec fuit aliquid antequam Filius, nec quidquam ipse nisi Filius; atque ita qui semper est Filius, nascibilitatis proprietate ac veritate Filius ejus est solus qui genuit; et ille tantum qui genuit, Pater ipsius est, quia sicut ille Filius origine, ita ille Pater generatione. »

Quod homo dicitur Filius Trinitatis, et Trinitas potest dici pater hominum.

Homo vero, qui filius Dei est factura, non tantum Patris, sed et Filii et Spiritus sancti filius est, id est totus Trinitatis, et Trinitas ipsa pater ejus dici potest. Unde Augustinus (in 5 lib. de Trinit., cap. 4) dicit: « Non potest dici Trinitas Pater, nisi forte translativa ad creaturam propter adoptionem filiorum. Quod enim scriptum est (Deut. 6, 4): « Audi Israel: Dominus Deus tuus, Deus unus est; non utique excepto Filio, aut Spiritu sancto, oportet intelligi: quem unum Dominum Deum nostrum recte dicimus etiam patrem nostrum per gratiam suam nos regenerantem. » De hoc etiam Hilarius (in 6 lib. de Trinit., parum post med.) ait: « Omnibus per idem Deus pater est; quibus est pater per eam fidem quae Jesum Christum Dei Filium contemner. » Ecce ostensum est, quare proprium dicitur esse Dei nati quod Filius est; quia scilicet ipse solus natus proprie dicitur. Unde Hilarius (in lib. 5 de Trinit., non longe a princ.) ait: « Dominus dicens (Joan. 17, 1): « Glorifica Filium tuum, non solo nomine contestatus est se esse Filium, sed et proprietate. Nos filii Dei sumus, sed non talis hic Filius. Hic enim verus et proprius est Filius origine, non adoptione; veritate, non nuncupatione; nativitate, non creatione. »

Quod Spiritus sanctus proprie dicitur donum Dei, quia proprietate est donum, ut Filius nativitate; et utroque modo dicitur relative, secundum eandem relationem.

Ita etiam de Spiritu sancto dicendum est, qui proprie

dicitur donum Dei, cum tamen et alia plura sint dona Dei. Sed Spiritus sanctus ita proprietate immutabilis et aeterna donum est, sicut Filius proprietate est Filius. Eo enim dicitur donum quo Spiritus sanctus; et utraque utique nomine relative dicitur: eademque relatione dicitur Spiritus sanctus et donum; licet ipsa relatio non appareat in hoc nomine Spiritus sanctus, sicut in hoc nomine donum. Unde Augustinus (in 5 libro de Trinitate, cap. 12), ait Spiritus sanctus, qui non est Trinitas, sed in Trinitate, intelligitur, in eo quod proprie dicitur Spiritus sanctus, relative filii, cum et ad Patrem et ad Filium referatur: quia Spiritus sanctus, et Patris et Filii Spiritus est; sed ipsa relatio non apparet in hoc nomine. Apparet autem cum dicitur donum Dei. Donum est enim Patris et Filii, quia et a Patre procedit et a Filio. Ergo Spiritus sanctus ineffabilis quaedam Patris Filiique communio est. Et ideo fortasse sic appellatur, ut jam diximus, nec iterare piget, quia Patri et Filio potest eadem appellatio convenire. Nam hoc ipse proprie dicitur quod illi communiter: quia etiam Pater spiritus, et Filius spiritus, et Pater sanctus, et Filius sanctus. Ut ergo ex nomine quod utrique convenit, utriusque communio significetur, vocatur donum amorum Spiritus sanctus. » Ecce habes, quare Spiritus sanctus proprie dicitur donum, et quod relative dicitur sive donum, sive Spiritus sanctus, et quod nomen sibi proprium tenet quod communiter Patri et Filio convenit, sed divisim. Et est sciendum quod cum Pater vel Filius dicitur spiritus, sive sanctus, neutrum relative dicitur, sed secundum substantiam.

An Pater vel Filius vel Trinitas ipsa, possit dici Spiritus sanctus.

Hic quaeri potest, utrum Pater vel Filius, vel etiam ipsa Trinitas, possit dici Spiritus sanctus, sicut disjunctim dicitur et spiritus et sanctus. De hoc Augustinus (in 5 lib. de Trinit., cap. 11) sic ait: « Trinitas nullo modo potest dici Filius. Spiritus vero sanctus potest quidem universaliter dici secundum illud quod scriptum est, quoniam Deus spiritus est. Itaque Pater et Filius et Spiritus sanctus, quoniam unus Deus est, et utique Deus sanctus est, et Deus spiritus est (1), potest appellari Trinitas et Spiritus sanctus; sed tamen tunc Spiritus sanctus relative non dicitur, sed secundum essentiam: quia proprie Spiritus sanctus, qui non est Trinitas, sed in Trinitate, dicitur relative. »

Quidam putant, Spiritum sanctum non dici relative ad Patrem et Filium, quia non vicissim respondent sibi vocabula; sed falso.

Quidam tamen putant, Spiritum sanctum, vel donum, non dici relative ad Patrem vel ad Filium. Si enim, inquit, haec relative ad se dicuntur, suis invicem sibi respondent vocabulis; ut sic ut dicitur Pater, Filius Pater, et Filius Patris Filius; ita dicitur Pater Spiritus sancti, vel doni Pater; et Spiritus sanctus, vel donum, Patris spiritus vel donum; sed non ita est in omnibus relativis. Non enim omnia quae relative dicuntur, suis ad se invicem respondent vocabulis. Unde Augustini horum eliens opinionem (in 3 libro de Trinit., cap. 12): « Non le moveat, inquit, quoniam diximus Spiritum sanctum non ipsam Trinitatem, sed eum qui est in Trinitate, relative dici; licet non ei respondeat vicissim vocabulum ejus ad quem refertur. Dicimus enim Spiritum sanctum Patris, sed non vicissim dicimus Patrem Spiritus sancti, ne Filius ejus intelligatur Spiritus sanctus. Item dicimus Spiritum sanctum Filii, sed non dicimus Filium Spiritus sancti, ne Pater ejus intelligatur Spiritus sanctus. In multis enim relativis hoc contingit ut non inveniantur vocabula quo sibi vicissim respondent. Cum ergo dicimus donum Patris et Filii, non quidem passum dicere Patrem doni aut Filium doni; sed quae habet vicissim respondeant, dicimus donum donatoris et donatorem doni: quia hic potuit inveniri usitatum vocabulum, illic non potuit. Donum ergo donatoris et donatorem doni cum dicimus, relative utrumque ad invicem dicimus. Donator tamen non fuit Deus nisi ex tempore, cum Spiritus sanctus sit donum etiam ab aeterno. »

(1) Al. omittitur et Deus spiritus est.

Divisio textus.

Postquam determinavit Magister de essentia et personis, hic determinat de proprietatibus quibus personae distinguuntur. Dividitur autem in partes duas: in prima determinat de proprietatibus propriis personarum; in secunda de appropriatis personis, 31 dist., ibi: *Praeterea considerari oportet*. Prima in duas: in prima determinat de proprietatibus personalibus; in secunda de proprietatibus personarum quae non sunt personales, 28 dist. Prima in duas: in prima determinat de proprietatibus personalibus; in secunda comparat nomina significantia personas, 27 dist., ibi: *Hic quaeri potest*. Prima in duas: in prima determinat de hypostasi quae substatur proprietatibus sicut distinctum distinguunt; in secunda determinat de proprietatibus quibus hypostases distinguuntur, ibi: *Item de proprietatibus personarum videamus*. Et haec dividitur in duas: in prima assignat personales proprietates personarum; in secunda removet quasdam dubitationes, ibi: *Hic quaeritur, quomodo dicatur proprium nato Deo, quod est Dei Filius*. Circa primum duo facit: primo assignat personalium proprietatum numerum; secundo assignat praedicandi modum quantum ad tria, scilicet quod non praedicantur substantialiter sed relative, et quod non praedicantur accidentaliter, et quod non praedicantur temporaliter sed ab aeterno, et confirmat per auctoritatem sanctorum, ibi: *Quocirca sciendum est, non omne quod dicitur de Deo, dici secundum substantiam*.

Hic quaeritur, quomodo dicatur proprium nato Deo, quod est Dei Filius. Hic removet primo dubitationes: et primo quantum ad proprietatem Filii; secundo quantum ad proprietatem Spiritus sancti, ibi: *Ita etiam de Spiritu sancto dicendum est*. Et haec dividitur in duas: in prima removet dubitationem; in secunda excludit errorem, ibi: *Quidam tamen putant, Spiritum sanctum vel dominum non dici relative ad Patrem vel ad Filium*. Circa primum duo facit: primo removet dubitationem de proprietate Spiritus sancti, secundo quod significatur nomine domini, ibi: *Hic quaeri potest, utrum Pater et Filius vel etiam ipsa Trinitas possit dici Spiritus sanctus*.

QUAESTIO I.

Hic quaeruntur duo. Primo de hypostasi. Secundo de proprietatibus.

Circa primum duo quaeruntur: 1.^o utrum hypostasis sit in divinis, et quid ibi significet; 2.^o utrum abstractis per intellectum proprietatibus personalibus, remaneant hypostases distinctae.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum hypostasis proprie dicatur in divinis.

Ad primum sic proceditur. 1. Videtur quod hypostasis non sit in divinis proprie dicenda. Primo per hoc quod Hieronymus dicit in littera, quod hoc nomen non est bonae suspicionis, et quod venenum sub melle later.

2. Praeterea, sicut dicit Boetius (de duab. Nat., ant. med.), hypostasis nominat substantiam subjectam accidentibus. Sed Deus non substatur alicui accidenti,

ut supra, distinct. 8, quaest. 3, dixit Augustinus. Ergo non proprie potest dici hypostasis.

3. Item, hypostasis nominat rem naturae, quae alicui naturae supponitur. Sed in omni re naturae videtur quod natura sit majoris simplicitatis quam ipsa res naturae, et quod res naturae addit aliquid supra naturam; alias sicut est una natura, ita esset una res naturae. Sed ubiqueque est additio, ibi est compositio. Ergo videtur quod omnis hypostasis sit composita. Sed in Deo non est aliqua compositio. Ergo nec hypostasis.

4. Praeterea, omnis hypostasis est subsistentia et essentia: quia omne quod substatur, subsistit et est. Si igitur in Deo est hypostasis, illa hypostasis erit subsistentia et essentia: quod non videtur, quia dicimus tres hypostases, non autem tres essentias vel subsistentias, secundum Boetium (ibid.). Ergo videtur quod hypostasis in divinis nihil sit.

3. Praeterea, omne quod est in divinis, aut est absolutum aut ad aliquid. Sed hypostasis non videtur in divinis significare absolutum: quia nihil absolutum in divinis distinguitur, secundum Augustinum (Fulgentium, de Fid. ad Petr., cap. 1), et Boetium (2 de Trinit., cap. 1); hypostasis autem distinguitur. Nec etiam est ad aliquid; quia relatio in divinis est distinguens, et hypostasis est distinctum. Ergo videtur quod hypostasis non sit in divinis.

6. Praeterea, omne indeterminatum se habet ad determinatum sicut possibile et materiale. Sed persona se habet ad hypostasim sicut determinatum ad indeterminatum, vel sicut distinctum ad distinguibile, ut quidam dicunt: eo quod persona est hypostasis proprietate distincta ad dignitatem pertinente. Ergo cum in divinis nihil sit materiale et potentiale vel incompletum, videtur quod in divinis non sit hypostasis.

Contra, sicut supra dictum est, dist. 23, qu. 1, art. 1, idem dicitur graeci hypostasim, quod nos personam. Sed persona proprie dicitur in Deo, et pluraliter de tribus, et singulariter de singulis. Ergo et similiter hypostasis.

Solutio. Respondeo dicendum, quod, ut ex dictis patet, ex verbis Boetii, hypostasis apud graecos est principaliter individuum substantiae, quod nos substantiam primam dicimus. Hoc autem est aliquid completum et distinctum et incommunicabile in natura substantiae. Unde hypostasis divina erit illud quod est per se subsistens, distinctum et incommunicabile. Nihil autem absolutum est distinctum in divinis, sed solum id quod est ad aliquid: et sicut essentia est ipsum quod est secundum rem, ita realiter relatio distinguens est ipsum distinctum: et cum relatio sit idem secundum rem quod essentia, ipsum distinctum relatione erit idem secundum rem quod subsistens in essentia vel natura divina; et hoc significat nomen *hypostasis*.

Unde dico, quod nomen *hypostasis* in divinis significat relationem ut distinctam per modum subsistentis in natura divina, ut dictum est de nomine personae; sed differt, quia hypostasis de ratione sua non includit determinatam rationem distinctionis, sed nomen personae specialem includit distinctionis rationem quae ad dignitatem pertinet, prout dicit quid subsistens in natura nobili, scilicet intellectuali: quamvis hoc idem dicat nomen hypostasis ex usu graecorum, ut Boetius dicit, ubi supra. Sed hoc nomen *Pater* ulterius significat distinctum, exprimitendo specialem et determinatam rationem distin-

tionis ad nobilitatem pertinentem, scilicet relationem paternitatis.

Ex hoc patet quod ista quatuor se habent consequenter. *Hypostasis* enim dicit subsistens distinctum quocumque modo. *Hypostasis divina* dicit subsistens distinctum relatione, quia alia distinctio non potest esse in divinis. *Persona* dicit distinctum distinctione relationis ad dignitatem pertinentis. *Pater* in divinis dicit subsistens distinctum relatione ad nobilitatem pertinente, quae est paternitas.

Ad primum igitur dicendum, quod nomen respondens hypostasi lingua latina, scilicet substantia, aequivocatur ad essentiam et ad substantiam primam, et ideo ne fieret occasio deceptionis, noluit Hieronymus ut nomine hypostasis ante notam et determinatam ejus significationem; ne ex distinctione hypostasis, distinctionem essentiae haereticis, simpliciter decipiendo, arguerent (1).

Ad secundum dicendum, quod quamvis secundum rem in divinis non sit aliquid sub alio vel substans alii per modum accidentis; tamen intelligitur aliquid substare quantum ad modum significandi, secundum quod etiam dicit Damascenus (lib. 3 de Fid. orth., cap. 6), quod in divinis quaedam significant id quod consequitur substantiam, ut bonitas, sapientia, paternitas et hujusmodi; et secundum hoc potest dici ibi nomen hypostasis.

Ad tertium dicendum, quod hypostasis in Deo est res naturae. Sciendum est enim quod individuum substantiae dicitur dupliciter: vel ex eo quod substatur naturae, vel ex eo quod substatur accidentibus et proprietatibus; et quantum ad utrumque potest significari per nomen primae intentionis, vel per nomen secundae intentionis. Per nomen primae impositionis significatur ut substatur naturae, hoc nomine *res naturae*; et per nomen secundae impositionis, hoc nomine quod est *suppositum*. Similiter inquantum substatur proprietati, significatur nomine primae impositionis, quod est nomen *hypostasis* vel *personae*, et nomine secundae impositionis, quod est singulare, ut *individuum*: quae proprie non sunt in divinis, quia exprimentur determinatum modum distinctionis, quod est per materiam; sed loco horum dicitur ibi incommunicabile. Nec tamen oportet quod natura sit aliquid simplicius quam ipsa res naturae: quia in simplicibus, secundum Avicennam (tract. 3 Metaph., cap. 3), quidditas simplicis est ipsum simplex; sed differt tantum quantum ad modum significandi: quia quidditas significatur ut forma, et ipsa res simplex significatur ut subsistens; et distinctio in re naturae non est ex parte naturae, sed ex parte relationum oppositarum subsistentium in natura illa.

Ad quartum dicendum, quod persona, ut dictum est, dist. 23, qu. 1, art. 4, non distinguitur in divinis ex parte naturae, vel ex parte ipsius esse; sed solum ex parte proprietatum: unde illa nomina quae dicuntur secundum respectum ad proprietatem, pluraliter praedicantur, sicut *hypostasis* et *persona*; quae autem dicuntur per respectum ad esse, praedicantur singulariter, ut *subsistentia* et *essentia*: quamvis nomen subsistentiae apud usum sanctorum sumatur pro hypostasi, ut prius dictum est. Sed quaedam sunt nomina quae dicunt respectum ad

naturam communem, quae etiam pluraliter praedicantur, ut *res naturae* et *suppositum*; quia quamvis non dicant respectum ad proprietatem per modum formae, tamen, inquantum nominant aliquid distinctum sub natura communi, significant in divinis relationes ut subsistentes. *Subsistentia* autem et *essentia* non nominat distinctum: unde etiam per prius sunt in generibus et speciebus quam in individuis, secundum Boetium; et ideo si proprie accipiantur, pluraliter non praedicantur, sicut est apud graecos.

Ad quintum dicendum, quod hypostasis, ut dictum est, in corp. art., significat in divinis relationem per modum substantiae: quia sicut propter simplicitatem, idem est in Deo essentia et esse: ita etiam idem est in eo relatio distinguens et distinctum relatione; sed differunt secundum modum significandi, qui fundatur in re, quia utrumque nomen habet veram significationem suam in Deo; et ideo differunt etiam quantum ad modum supponendi, quia supposito uno non supponitur aliud. Sicut enim dicimus quod Deus generat et deitas non generat: ita dicimus quod hypostasis distinguitur et relatio distinguitur.

Ad sextum dicendum, quod sicut nomen personae significat quid distinctum in divinis, ita et nomen hypostasis; sed nomen personae determinat specialem modum distinctionis, scilicet per proprietatem nobilem, quod nomen hypostasis non determinat; unde se habent quasi sicut superius et inferius; sicut aliqua substantia est quodammodo magis communis quam aliquis homo. Sed ista determinatio et indeterminatio communis et propria, in rebus compositis reducitur ad materiale et formale secundum rem, eo quod ratio generis fluit a materia, et ratio differentiae a forma, ut dictum est: sed in rebus simplicibus non habet aliquid respondens in re quod sit indeterminatum, quasi materiale, et forma adveniente determinetur; sed est solum quantum ad modum significandi, inquantum utrumque illorum est vere significare in divinis.

ARTICULUS II.

Utrum remotis relationibus per intellectum, hypostases remaneant distinctae. — (De Pot., quaest. 8, art. 4, et 1 p., quaest. 40, art. 3.)

Ad secundum sic proceditur. 1. Videtur quod remotis relationibus per intellectum, remaneant hypostases distinctae. Sicut enim dicit Augustinus (3 de Trin., cap. 3), in omni quod ad alterum dicitur, est accipere aliquid quod per se dicitur; quia relatum, non est relatum tantum, sed etiam est aliquid. Si igitur hypostasis secundum relationem ad aliquid dicitur, videtur quod praeter intellectum relationis, sit aliquid intelligere subsistens (1); et ita remotis proprietatibus relativis per intellectum, videtur quod remaneant ipsae hypostases subsistentes.

2. Praeterea, hypostasis in divinis est perfectior quam sit in creaturis. Sed in creaturis remoto per intellectum, vel secundum rem, hoc quod una hypostasis ad aliam dicitur, adhuc remanent ipsae hypostases, sicut Socrates et Plato. Ergo videtur quod etiam in divinis.

(1) Nicolai: ne haereticis ex distinctione hypostasis, distinctionem essentiae (simpliciter decipiendo) arguerent.

S. Th. Opera omnia. V. 6.

(1) O, do ce, boram est: sit intelligere aliquid subsistens.

3. Item, omne quod cadit in definitione alicuius, potest intelligi, non intellecto illo; sicut remoto per intellectum rationalem, per quod homo constituitur, intelligitur animal, quod in definitione hominis ponitur. Sed persona est hypostasis proprietate distincta, ad dignitatem pertinente. Ergo remota per intellectum proprietate relativa, adhuc remanet hypostasis distincta.

4. Praeterea, Pater habet quod est quis, et quod est Pater. Aut igitur ab eodem, aut ab alio. Si ab eodem, tunc cum paternitate sit Pater, paternitate erit quis. Sed in Filio non est paternitas. Ergo Filius non erit quis: quod est falsum. Ergo oportet dare alterum, quod non ab eodem habeat. Remoto igitur a Patre hoc quo Pater dicitur, adhuc remanet quod est quis. Sed quis nominat hypostasim. Ergo remota relatione remanet hypostasis distincta.

Contra, sicut dicit Augustinus (6 de Trin., cap. 2 et 5) in omnibus Pater et Filius unum sunt, praeter ea quae ad aliquid dicuntur. Remoto igitur per intellectum hoc quo Pater ad alterum dicitur, remanet solum id in quo Pater et Filius ununtur. Sed hoc non potest esse distinctum in divinis. Ergo remota relatione per intellectum, non remanent hypostases distinctae. Hoc idem videtur per Boetium qui dicit (1 de Trin., cap. 12) quod in divinis sola relatio multiplicat Trinitatem.

Solutio. Respondeo dicendum, quod duplex est opinio. Quidam dicunt, quod sicut est in creaturis, quod remotis relationibus et proprietatibus, remanet ipsae hypostases seipsas distinctae, ita est etiam in divinis; unde dicunt, quod abstracta personalitate, id est, relatione constituyente personam, remanet hypostasis. Sed hoc non videtur posse stare secundum fidei suppositionem, propter duo. Primum, quia cum pluralitas (1) semper causetur ex aliqua distinctione, et distinctio omnis sit vel (2) per essentiam vel per quantitatem vel per relationem, impossibile est in Deo esse aliquam distinctionem nisi quam causat relatio. Unde remotis relationibus per intellectum, simul tollitur ipse intellectus distinctionis. Secundo, quia in divinis nihil praedicatur sicut accidens, vel sicut forma inhaerens alicui praexistenti; unde quicquid significatur per modum formae, totum est subsistens. Unde sicut remota essentia per intellectum, non remanet aliquid quasi recipiens illam essentiam, quia ipsamet essentia est subsistens; ita etiam remota bonitate per intellectum, non remanet aliquid quasi recipiens bonitatem, quia ipsa bonitas est subsistens; et similiter remota relatione per intellectum, non relinquuntur aliquid quasi substratum illi relationi, sed ipsamet relatio est res subsistens. Unde abstracta relatione, proprie loquendo, nihil manet, neque absolutum, neque relatum, neque hypostasis, neque essentia. Sed verum est quod essentia potest intelligi, non intellecta bonitate, ut dicit Boetius (lib. de Hebdom.,) et similiter potest intelligi essentia, non intellecta paternitate vel relatione, sicut Iudaei intelligunt, sed non per modum abstractionis. Sed non potest intelligi quod in divinis removeatur relatio et remaneat aliquid subsistens relationi, quia ipsamet ibi subsistit.

Et ideo concedimus cum aliis, quod remota relatione, non manet hypostasis distincta in divinis;

(1) *Al.* pluralis.
(2) *Al.* vel est.

tum quia non manet distinctio, tum quia non manet subsistens relationi. Sed verum est quod si nunquam essent relationes quas fides distinguit. Deus esset et substantia et persona ex hoc quod subsisteret in esse suo, et substaret proprietatibus essentialibus, quibus ab essentiis aliis distingueretur.

Ad primum igitur dicendum, quod in divinis est accipere et absolutum et relatum; sed relatio non advenit absoluto sicut distinguens ipsum, sed per omnimodam identitatem rei. Sed id quod distinguitur relatione, est ipsa relatio; et hoc potest significari per modum subsistentis; et sic significatur nomine personae vel hypostasis, ut patet ex dictis.

Ad secundum dicendum, quod in creaturis hypostases distinguuntur per materiam et proprietates diversas sunt ostendentes distinctionem; sed in divinis hypostases non distinguuntur nisi per relationem: quia non est ibi invenire aliquam realem alietatem, nisi quae est secundum oppositionem relativam. Unde sicut in creaturis, subtracta per intellectum divisione materiae et quantitatis, non remanent hypostases distinctae; ita etiam in divinis subtracta oppositione relativa.

Ad tertium dicendum, quod hypostasis ponitur in definitione personae, quia persona addit aliquid supra hypostasim: non quidem relationem, quia relatio est de intellectu hypostasis divinae, sicut de intellectu personae: sed addit determinatam rationem relationis, scilicet pertinens ad dignitatem; et ideo remota relatione, neque hypostasis intellectus (1), neque personae manet in divinis: quia etiam ex hoc ipso quod ponitur hypostasis divina, ponitur subsistens in proprietate nobili. Unde ratio nobilitatis quam addit persona, includitur in hoc quod est divina hypostasis. Unde sicut hypostasis humana nihil minus dicit quam persona, ita nec hypostasis divina.

Ad quartum dicendum, quod paternitate habet Pater quod est quis, et quod est Pater; non tamen sequitur quod Filius non sit quis; quia hoc quo Pater habet paternitatem, Filius habet filiationem, quae etiam est relatio. Unde abstracta relatione, neque Pater est quis, neque Filius est quis; sed tamen uterque est quis sua relatione, sicut uterque est persona sua personalitate; et tamen personalitas unius non est personalitas alterius; et hoc quomodo sit patet ex praedictis, dist. 25, quaest. 1, art. 3, de communitate personae.

QUAESTIO II.

Deinde quaeritur de proprietatibus; et circa hoc quaeruntur tria: 1.º an relationes sint in divinis; 2.º utrum solis relationibus originis personae distinguantur; 3.º de numero relationum, notionum, et proprietatum, et qualiter haec differant.

ARTICULUS PRIMUS

Utrum relationes divinae sint omnino nihil.
(1 p., quaest. 28, art. 2.)

Ad primum sic proceditur. 1. Videtur quod in divinis relationes omnino nihil sint. Sicut enim dicit Boetius (lib. de Trin., cap. 8), cuncta quae in divinis praedicantur veniunt, mutantur in sub-

(1) *Ordo verborum: neque intellectus hypostasis.*

stantiam; ad aliquid vero omnino non praedicatur. Sed quidquid est in Deo, praedicatur de ipso. Ergo relationes non sunt in Deo.

2. Praeterea, ipse dicit, quod relationes quibus Pater refertur ad Filium, et Filius ad Patrem, sunt similes relationibus quibus aliquid ad seipsum refertur, ut cum dicitur idem eidem idem. Sed tales relationes nihil secundum rem ponunt in eo de quo dicuntur, ut videtur dicere Philosophus (in 5 Met., text. 20), sed sunt solum secundum intellectum. Ergo videtur quod relationes non sunt realiter in Deo.

3. Item, omne quod advenit alicui et recedit ex sola habitudine alterius ad ipsum, sine omni sua mutatione, non ponit aliquid in ipso. Nihil enim potest advenire alicui de novo sine sui mutatione vel per se vel per accedens. Sed relationes hoc modo adveniunt et recedunt; sicut per mutationem alterius efficitur columna immobilis dextra et sinistra: sicut mortuo filio aliquis desinit esse pater, nulla mutatione circa ipsum facta. Ergo videtur quod relationes huiusmodi omnino nihil sunt in divinis.

4. Praeterea, si relatio est in divinis, aut est idem quod essentia, aut aliud. Si idem quod essentia, tunc cum essentia sit una in omnibus, et relatio erit una in omnibus; vel si personae distinguuntur relationibus, distinguuntur etiam in essentia: quod est haeresis Arii. Si aliud, ergo facit compositionem cum essentia; quod non potest esse. Ergo relatio omnino non est in divinis.

5. Item, simplicissima seipsas distinguuntur. Sed personae divinae sunt simplicissimae. Ergo seipsas distinguuntur: ergo videtur quod non distinguantur aliquibus relationibus.

Contra, omne quod est in Deo vel est absolutum vel est ad aliquid aliud. Sed personae divinae non distinguuntur in aliquo absoluto, quia in absolutis tres personae unum sunt. Ergo vel non distinguuntur, vel relationibus distinguuntur. Si igitur relationes non sunt realiter in divinis, sed secundum rationem tantum, tunc Pater et Filius non realiter distinguuntur, et ita sequetur haeresis Sabellii. Oportet ergo relationes in divinis ponere.

Praeterea, Pater refertur ad Filium et ad Spiritum sanctum, sed non eodem modo ad utrumque: quia ad unum generando, ad alium spirando. Ergo videtur quod oporteat in persona significare plures relationes, quibus ad alteram referatur, sicut in una essentia plures personae. Ergo sicut in divinis non tantum ponimus essentiam, sed etiam personas, quia invenimus plures personas in una essentia; ita oportet ponere etiam relationes.

Solutio. Respondeo dicendum, quod apud omnes catholicos certum est relationes esse in divinis. Sed in positione relationum inveniuntur diversae doctorum sententiae.

Quidam dixerunt, ut Porretani (1), quod relationes in divinis sunt tantum assistentes. Quidam vero dixerunt, quod relationes in divinis sunt ipsae personae; et quod aliquando in abstracto significatur, hoc est solum propter modum loquendi; sicut dicimus, rogo benignitatem tuam, id est te benignum; et similiter resolvendae sunt omnes illae

(1) Nempte Gilberti Porretani Pictaviensis episcopi sequae (ex edit. P. Nicolai).

locutiones in quibus relationes vel proprietates in abstracto dicuntur. Alii dicunt, quod relationes sunt personae et sunt in personis etiam secundum veritatem rei et non solum quantum ad modum loquendi; et omnes isti secundum aliquid verum dixerunt. Sed tamen ultima opinio continet totam veritatem.

Et ad huius intellectum sciendum est, quod, ut supra dictum est, dist. 8, quaest. 4, art. 3, in relatione, sicut in omnibus accidentibus, est duo considerare: scilicet esse suum, secundum quod ponit aliquid in ipso, prout est accidens; et rationem suam, secundum quam ad aliud refertur, ex qua in genere determinato collocatur; et ex hac ratione non habet quod ponat aliquid in eo de quo dicitur; sicut omnes aliae formae absolutae ex ipsa sua ratione habent quod aliquid in eo quod dicuntur, ponant. Et ideo inveniuntur quaedam relationes nihil ponentes in eo de quo dicitur; et hoc attendentes quidam Philosophi dixerunt, quod relatio non est aliquid unum genus entium, nec est aliquid in rerum natura; sed est tantum quidam respectus respersus in omnibus entibus, et quod relationes sunt de intentionibus secundis quae non habent esse nisi in anima. Cui etiam Porretanorum opinio consentire videtur. Sed hoc falsum est: quia nihil quod est ens tantum in anima, in genere determinato collocatur. Unde distinguendum est inter relationes. Quaedam enim sunt quae habent aliquid in re, supra quod esse eorum fundatur, sicut aequalitas fundatur supra quantitatem; et huiusmodi relationes aliquid realiter in re sunt. Quaedam vero sunt quae non habent fundamentum in re de qua dicuntur, sicut dextrum et sinistrum in illis in quibus non sunt determinatae istae positiones secundum naturam, sicut in partibus animalis. Ibi enim, scilicet in animalis, istae relationes realiter sunt, quia fundantur in diversis virtutibus determinatarum partium; sed in aliis non sunt nisi secundum rationem habitudinis unius ad alterum; et ideo dicuntur relationes rationis. Et hoc contingit quatuor modis, scilicet quod sint relationes rationis, et non rei. Uno modo, ut dictum est, in hoc art., paulo sup., quando relatio non habet aliquid in rei natura supra quod fundetur: et inde est quod quandoque contingit quod relatio realiter est in uno et non in altero: quia in uno habet motum quemdam supra quem fundatur, quem non habet in alio; sicut est in omnibus illis relationibus quibus Deus ad creaturam refertur, quae quidem realiter sunt in creatura, et non in Deo. Secundo modo quando relatio non habet aliquam realem diversitatem inter extrema, sicut relatio identitatis; et ideo hoc nihil ponit secundum rem, sed solum secundum rationem, ut cum dicitur idem eidem idem. Tertio modo quando designatur relatio aliqua entis ad non ens, ut cum dicitur quod nos sumus priores illis qui futuri sunt: ista enim prioritas non est aliqua relatio secundum rem, sed solum secundum rationem: quia relatio realis exigit utrumque extremorum in actu. Quarto modo quando ponitur relatio relationis: ipsa enim relatio per seipsam refertur, non per aliam relationem. Unde in creaturis paternitas non coniungitur subiecto per aliquam relationem mediam. Et hos ultimos duos modos ponit Avicenna (tract. 5 Metaph., cap. 10). Primi duo possunt etiam extrahi ex verbis Philosophi (3 Metaph., text. 10). Cum igitur istae re-

lationes, paternitas et filio, habeant fundamentum aliquod in re, scilicet ipsam naturam, quae communicatur secundum communicationem naturae, constat quod sunt realiter in Deo; et propter simplicitatem sunt idem quod personae in quibus sunt, et propter veritatem relationum oportet quod alio modo significantur. Primi igitur attendentes in relationibus solum id quod ad alterum est, et non fundamentum quod habent in re, dixerunt, relationes assistentes esse, quasi ex habitudine alterius advenientes. Secundi attendentes fundamentum rei et simplicitatem divinam, dixerunt, quod relationes non sunt in personis, sed sunt ipsae personae. Tertii autem considerantes utrumque, dixerunt, quod sunt in personis propter veram rationem relationis, et quod tamen sunt personae propter simplicitatem; sicut deitas est in Deo, et tamen est Deus.

Ad primum igitur dicendum, quod dictum Boetii intelligitur de *ad aliquid*, prout ad alterum est: sic enim non praedicatur aliquid in re de qua dicitur, sed ponit aliquid extra; sed tamen aliqua relationes, quantum ad esse suum, aliquid in re de qua dicuntur ponunt.

Ad secundum dicendum, quod in relatione identitatis duo est considerare: scilicet illud respectu cuius dicitur identitas, scilicet ipsa essentia, sicut aequalitas respectu quantitatis; et id cuius est identitas, quod dicitur idem secundum unam essentiam, sicut aequale, quod habet unam quantitatem. Et quia etiam unum numero est essentia quam Pater Filio communicat, ideo similitudo est harum relationum cum relatione identitatis, quantum ad id cuius respectu dicuntur; sed non est quantum ad ea quae invicem referuntur secundum illud. Unde etiam Filius non dicitur idem Patri masculinae, sed neutraliter.

Ad tertium dicendum, quod quodcumque aliquid quod est de ratione rei, tollitur, oportet quod ipsa res auferatur, sicut remoto rationali destruitur homo. Ad rationem autem relationis quae habet fundamentum in re, duo concurrunt; scilicet fundamentum rei, quod est quantitas, quae est causa huius relationis: est etiam aliud de ratione eius, scilicet respectus ad alterum: et utroque modo contingit in realibus relationibus destrui relationem: vel per destructionem quantitatis, unde ad hanc mutationem quantitatis sequitur per accidens mutatio relationis: vel etiam secundum quod cessat respectus ad alterum, remoto illo ad quod referebatur; et tunc relatio cessat, nulla mutatione facta in ipsa. Unde in illis in quibus non est relatio nisi secundum hunc respectum, veniunt et recedunt relationes sine aliqua mutatione eius quod refertur.

Ad quartum dicendum, quod relatio realiter est idem quod essentia, sed differunt solum ratione, sicut etiam bonitas ab essentia; et ex illa ratione relatio habet quod distinguitur in divinis, quod non convenit essentiae.

Ad quintum dicendum, quod etiam personae divinae seipsis distinguuntur, in quantum personae secundum rem sunt ipsae relationes. Sed sicut persona, quantum ad modum significandi, non est idem quod relatio: ita etiam seipsis non distinguuntur, sed relationibus; sicut Deus per seipsum est Deus, quamvis deitas sit Deus, quia ipse est sua deitas.

ARTICULUS II.

Utrum relationes originis distinguant hypostases.
(De Pot., qu. 8, art. 5; et 1 p., qu. 40, art. 2.)

Ad secundum sic proceditur. 1. Videtur quod relationes originis non distinguant hypostases. Quod enim secundum intellectum sequitur substantiam, non potest esse principium alicuius distinctionis in substantiis. Sed relatio est de assequentibus substantiam in Deo, saltem secundum intellectum, sicut bonitas et sapientia, ut dicit Damascenus. Cum igitur hypostasis sit substantia, videtur quod distinctionem hypostasum relatio non facit.

2. Praeterea, ordo distinguendum debet respondere ordini distinctionum. Sed inter omnes distinctiones rerum, prima est distinctio divinarum personarum, cum sit processio personarum causa processionis creatorum, ut supra, dist. 14, quaest. 1, art. 1, habitum est. Ergo videtur quod cum primum in entibus sit substantia, quod principium illius distinctionis non sit relatio, sed substantia.

3. Item, relatio non habet virtutem distinguendi, nisi secundum quod habet oppositionis rationem. Sed rationem oppositionis non habet nisi secundum quod ad alterum est. Ergo non distinguit nisi secundum quod ad alterum est. Sed secundum quod ad alterum est, non habet relatio quod sit res aliqua vel substantia vel hypostasis. Ergo relatio non poterit facere distinctionem realem hypostasum.

4. Praeterea, cum multae sint aliae relationes, quam relationes originis, quare secundum eas tantum divinae personae distinguuntur? Quia in divinis est invenire etiam aequalitatem et similitudinem, et huiusmodi, quae relationes quaedam sunt. Unde si istae non distinguunt, videtur eadem ratione quod nec illae.

Contra, minima distinctio debet respondere pro principio illud quod minimum habet de ente, et quod minimum compositionem facit. Sed inter omnia alia relatio est debilior esse, ut dicit Commentator (10 Metaph., text. 19), adeo quod quidam reputaverunt eam esse de intentionibus secundis, ut dicitur est, artic. antea. Ergo videtur quod maxime competat ad distinctionem personarum.

Solutio. Respondeo dicendum, quod quidam dicunt, quod principium distinctionis hypostasum divinarum non est relatio, immo hypostases seipsis distinguuntur per solam originem; relationes autem manifestant distinctionem; sicut in creaturis proprietates non faciunt differre secundum numerum; immo talis differentia causatur ex divisione materiae, sed proprietates tantum manifestant eam. Sed hoc non potest esse: quia quae seipsis distinguuntur, ex seipsis habent aliquam rationem distinctionis, sicut substantia distinguitur a quantitate per id quod est in intellectu utriusque, quod est esse subsistens, et esse mensuram et huiusmodi. Si autem consideretur duae hypostases, hypostasis in quantum hypostasis, non habet in intellectu suo unde ab alia distinguatur, cum utraque sit hypostasis. Ergo oportet quod hoc habeat in quantum est hypostasis per aliquam determinationem in ipsa, vel secundum determinatam materiam; sicut in creaturis, quod non potest esse in Deo, vel secundum aliquid aliud. Si autem dicatur, quod haec est sola origo per quam determinate efficitur haec hypostasis, aut per originem intelligitur ipsa relatio originis, et hoc est quod

ponimus; aut origo significatur per modum operationis, et sic nullo modo habet quod distinguat hypostases; immo quod sit ab hypostasi distincta: quia omnis operatio est individuorum distinctorum, secundum Philosophum (2 Metaph., in prolog.). Et ideo dicimus, quod nihil aliud est principium distinctionis in divinis, nisi relatio. Cujus ratio est, quia omnis distinctio vel divisio est vel per quantitatem vel per formam, secundum Philosophum (3 Metaph., text. 1). Secundum quantitatem vel materiam, divisio in divinis non est, cum non sit ibi quantitas et materia. Omnis autem distinctionis formalis principium est aliqua oppositio, ut largo modo sumatur oppositio, secundum quod etiam imperfectum et perfectum opponuntur, in quantum in uno est negatio vel privatio alterius. In omnibus autem oppositionibus alterum est ut perfectum, alterum ut imperfectum, praeter relationem; quod patet per se in affirmatione et negatione et privatione et habitu. Patet etiam in contrarietate: quia secundum Philosophum (1 Physicor., text. 49), semper alterum contrariorum est sicut nobilius, et alterum sicut vilius et sicut privatio, ut album et nigrum, frigidum et calidum et huiusmodi omnia; et ideo nulla talis distinctio potest esse in divinis, ubi est omnimoda perfectio. In relativis autem neutrum est sicut privatio alterius, vel defectum aliquem importans. Cujus ratio est, quia in relativis non est oppositio secundum id quod relativum in aliquo est: sed secundum id quod ad aliud dicitur. Unde quavis una relatio habeat annexam negationem alterius relationis in eodem supposito, non tamen ista negatio importat aliquem defectum, quia defectus non est nisi secundum aliquid quod in aliquo natum est esse: unde cum id quod habet oppositionem relativam ad ipsum, secundum rationem oppositionis non ponat aliquid, sed ad aliquid, non sequitur imperfectio vel defectus; et ideo sola talis oppositio competit distinctioni personarum.

Ad primum igitur dicendum, quod relatio divina habet aliquid in quantum est relatio, et aliquid in quantum est divina; in quantum enim divina, habet quod sit subsistens hypostasis, quia ibi nihil est accidens, nec aliqua forma inhaerens non subsistens; unde quamvis ex hoc quod est relatio, non habeat quod distinguat hypostases, quia sic omnis relatio hoc faceret; tamen habet hoc in quantum est relatio divina: sic enim non sequitur (1) substantiam, immo est ipsa substantia.

Ad secundum dicendum, quod ordo distinctionis potest dupliciter considerari: vel quantum ad quantitatem distinctionis, vel quantum ad dignitatem et causalitatem. Si quantum ad quantitatem distinctionis, sic distinctio divinarum hypostasum est minima distinctio realis quae possit esse, ut supra habitum est, in corp. art. Et ideo tali distinctioni competit ens minimum, scilicet relatio. Sed quantum ad ordinem dignitatis et causalitatis, illa distinctio excellit omnes distinctiones; et similiter relatio quae est principium distinctionis, dignitate excellit omne distinguens quod est in creaturis: non quidem ex hoc quod est relatio, sed ex hoc quod est relatio divina. Excellit etiam causalitate, quia ex processione personarum divinarum distinctarum causatur omnis creaturarum processio et multiplicatio,

(1) Al. assequitur.

ut supra habitum est, dist. 14, quaest. 1, art. 1. Ad tertium dicendum, quod, quamvis relationi ex hoc quod ad alterum dicitur, non debeat quod sit res quaedam, est tamen res aliqua secundum quod habet fundamentum in eo quod refertur: et ex hoc ulterius habet, in quantum est divina, quod sit hypostasis vel substantia: et ideo facit realem hypostasum distinctionem; habet sapientia ex hoc quod est sapientia, non sicut quod sit substantia; et tamen quia sapientia divina est substantia, Deus substantialiter est sapiens.

Et ideo considerandum est, quod ubi est relatio secundum habitum tantum et non secundum aliquid esse naturale, ibi non requiritur distinctio suppositorum secundum rem, sed solum secundum rationem, ut cum dicitur idem eidem idem. Quando autem est ibi relatio non solum secundum habitum, sed secundum esse naturale, requiritur distinctio suppositorum etiam realiter, ut aequalis aequali aequalis. Sed ubi ipsa relatio non tantum est realiter, sed etiam est ipsa substantia relati, ibi non tantum requirit, sed facit etiam suppositorum distinctionem.

Ad quartum dicendum, quod quia relatio non habet esse naturale nisi ex hoc quod habet fundamentum in re, et ex hoc collocatur in genere; inde est quod differentiae relationum essentiales sumuntur secundum differentias aliorum entium; ut patet ex Philosopho (3 Metaph., text. 20) ubi dicit, quod quaedam fundantur supra quantitatem, et quaedam supra actionem, et sic de aliis. Inde est quod secundum ordinem eorum in quibus fundantur relationes, est etiam ordo relationum. Sicut ergo videmus in his quae distinguuntur per essentiam, quod principia substantiae sunt distinguenda, ut materia et forma, et aliae res accidentales sunt signa manifestantia distinctionem, ita est in his quae distinguuntur per relationem, quod relationes quae fundantur supra naturam rei, sunt distinguenda, et aliae relationes sunt signa distinctionis. Relationes autem habentes fundamentum in natura rei, sunt relationes originis: paternitas enim fundatur in communicatione naturae; et ideo sancti ponunt, quod paternitate et filiatione Pater et Filius distinguuntur: sed aequalitas et similitudo demonstrant distinctionem. Unde Hilarius supra, dist. 23, per similitudinem divinarum personarum distinctionem probavit.

ARTICULUS III.

Utrum notiones sint tantum quinque.
(1 p., quaest. 52, art. 5.)

Ad tertium sic proceditur. 1. Videtur quod non sint tantum quinque notiones. Quod enim innascitur alicui ex sola habitudine alterius ad ipsum, multiplicatur secundum multitudinem eorum quae ad ipsum comparantur: quia ad multiplicatam causae sequitur pluralitas in effectum. Sed relationes innascuntur ex sola habitudine alterius ad aliquem. Ergo tot erunt relationes in Deo, quot sunt creaturae quae comparationem ad ipsum habent.

2. Praeterea, in Deo fuerunt ab aeterno, secundum Augustinum, rationes rerum creandarum, quae non differunt ab invicem nisi relationibus secundum respectum ad creaturam. Ergo videtur quod quot sunt creaturae, quarum rationes sunt in Deo, tot sunt ibi etiam relationes.

3. Item, divinae personae non tantum comparantur ad invicem secundum naturam quam una ab alia accipit, sed etiam secundum alia attributa. Sed in omnibus illis comparationibus intelliguntur aliquae relationes vel aequalitatis vel similitudinis. Ergo videtur quod tot sint relationes quot sunt ibi attributa.

4. Praeterea, ex omni operatione innascitur aliqua operantis relatio ad id circa quod est operatio. Sed in Deo secundum rationem distinguuntur plures operationes, ut est velle, intelligere et huiusmodi. Ergo sicut operationem generationis consequuntur secundum intellectum relationes originis, ita et ad alias operationes consequuntur aliae relationes, sicut intelligentis ad intellectum, et volentis ad volitum; et ita multiplicabuntur relationes secundum numerum operationum.

5. Item, sicut Pater et Filius conveniunt in hoc quod comparantur ad Spiritum sanctum ut principium; ita Filius et Spiritus sanctus conveniunt in hoc quod comparantur ad Patrem sicut ad principium. Sed communis spiratio est quaedam relatio conveniens Patri et Filio. Ergo esse a Patre erit alia relatio communis Filio et Spiritui sancto; et ita sunt plures quam quinque.

6. E contra videtur quod sint pauciores; quia, ut dictum est, artic. praec., proprietates sunt subsistentes personae. Ergo sunt ibi proprietates tot, quot sunt personae subsistentes. Sed personae subsistentes non sunt nisi tres. Ergo proprietates non sunt nisi tres.

Solutio. Respondeo dicendum, quod notiones, proprietatis et relationis differentia potest tripliciter assignari. Primo quantum ad rationem significationis; et sic sciendum est, quod paternitas dicitur relatio, secundum quod ad Filium refertur; dicitur autem proprietas, in quantum soli Patri convenit dicitur notio, in quantum est principium formale innotescenti Patrem. Secundo quantum ad ordinem intelligendi; quia cum nihil possit esse principium innotescenti aliquid, nisi sit sibi proprium, intellectum notionis praecedat intellectus proprietatis. Et quia proprietas non convenit nisi rei distinctae ab aliis, et distinctio in divinis non est nisi per oppositionem relationis; intellectum proprietatis in divinis praecedat intellectus relationis. Tertio quantum ad numerum; quia notiones sunt quinque, scilicet paternitas, filiatio, processio, innascibilitas, communis spiratio. Harum autem quatuor tantum sunt proprietates, quae uni personae tantum conveniunt, scilicet paternitas, innascibilitas, quae conveniunt tantum Patri; filiatio, quae convenit tantum Filio; processio, quae convenit tantum Spiritui sancto. Communis spiratio non potest dici proprietas simpliciter, quia convenit duabus personis; sed secundum quid, secundum quod aliquid dicitur esse proprium ad aliquid; est enim proprium Patris et Filii respectu Spiritus sancti. Harum etiam notionum quatuor sunt tantum relationes, scilicet paternitas, filiatio, processio, communis spiratio; innascibilitas enim non proprie dicitur relatio, nisi per reductionem, secundum quod negatio reducitur ad genus affirmationis, ut non homo ad genus hominis. Harum autem proprietatum vel notionum vel relationum, tres tantum sunt personales, scilicet constituentes personas: unde habent quasi actum differentiae constitutivae, scilicet paternitas, filiatio, processio. Aliae

duae sunt proprietates personae, sed non personales. Harum autem notionum quinque sufficientia sic patet. Ad hoc enim quod aliquid dicitur notio personae, tria requiruntur: primo quod ad originem pertineat, quia relationibus originis personae distinguuntur; secundo quod pertineat ad dignitatem, quia persona est hypostasis distincta proprietate ad dignitatem pertinentem; tertio quod dicitur aliquid speciale, quia commune non est sufficiens principium innotescenti. Dico igitur, quod pertinet ad originem potest significari vel affirmative vel negative. Si affirmative, vel dicitur secundum rationem principii, ut a quo alius, vel secundum rationem eius quod est a principio, ut qui ab alio. Utrumque istorum dicitur originem in communi: unde neutrum potest esse notio. Oportet ergo quod determinetur secundum specialem modum originis, qui non est nisi dupliciter, ut supra probatum est, dist. 15, qu. 1, art. 2, scilicet per modum naturae, et per modum amoris; et secundum utrumque habemus duas relationes: unam quae designat rationem principii, et alteram quae designat rationem eius quod est a principio; et sic sunt quatuor rationes, scilicet paternitas et filiatio quantum ad modum originis naturae; processio et communis spiratio quantum ad modum originis amoris. Si significatur negative, vel negatur ratio principii, vel ratio eius quod est a principio. Si negatur ratio principii, non est ad dignitatem pertinens, et ideo non potest esse notio Spiritus sancti, nec esse principium alicujus personae divinae. Si negatur ratio eius quod est a principio; aut in speciali, aut in generali. Si in speciali, non potest esse notio; quia quanto affirmatio est magis specialis, tanto notio (1) opposita est magis communis, sicut non homo est magis commune quam non animal; quia omne non animal est non homo; sed non convertitur. Si in generali, sic erit negatio specialis, et ad dignitatem pertinens; unde facit notionem Patris, quae est innascibilitas quae significat non esse ab alio, secundum quod est proprietas Patris. Quare autem dicitur innascibilitas per privationem nativitatis, specialiter infra dicitur, dist. 28, qu. 1, art. 1.

Ad primum igitur dicendum, quod relationes illae quae significantur in Deo ex habitudine creaturarum ad ipsum, nihil realiter ponunt in Deo, ut ex praedictis, haec quaest. art. 1, patet; et ideo non sequitur quod secundum hoc in infinitum multiplicentur relationes realiter in Deo existentes.

Ad secundum dicendum, quod relationes illae secundum quas attenditur distinctio idearum, non sunt fundatae in esse divino, sed in intellectu eius; unde realiter non habent esse in Deo, sed solum sunt intellectae ab ipso, sicut forma asini, et forma equi et huiusmodi; et non sicut bonitas et sapientia in ipso habent esse.

Ad tertium dicendum, quod aequalitas et similitudo non addunt aliquam relationem realem super paternitatem et filiationem; et ratio habetur infra dicitur, 51 dist., quaest. 1, art. 1.

Ad quartum dicendum, quod relationes quibus non subest aliqua realis distinctio in re quae refertur, non est relatio realis. Unde quodcumque aliqua operatio reflectitur in suppositum operans,

(1) Forte negatio.

ex reali operatione non innascitur aliqua realis relatio, sed rationis tantum; et ideo cum dicitur, quod Deus vel anima intelligit se, non importatur ibi aliqua realis relatio, sed rationis tantum.

Ad quintum dicendum, quod esse ab aliquo non dicit determinatum modum originis; et ideo non dicit specialem notionem, sed salvatur in duobus notionibus, scilicet filiatione et processione, cum quibus non ponit in numerum, sicut nec ali-quod commune cum propriis quae sub eo continentur, sed communis spiratio dicit determinatum modum originis, secundum quam Pater et Filius sunt principium Spiritus sancti; et ideo dicit specialem notionem.

Ad sextum dicendum, quod quaelibet proprietates in divinis, et quidquid est ibi, est subsistens; non tamen oportet quod sint tot res subsistentes quot sunt proprietates; sed quot opposito exigit realiter distinguens. Unde sicut in Deo bonitas et sapientia est subsistens, non tamen alia et alia res est subsistens, quia non habent oppositionem; ita etiam communis spiratio est subsistens, non tamen est alia res subsistens quam paternitas et filiatio, quia non habent oppositionem ad eam: unde in una re subsistente cum utroque esse potest. Nec tamen constituit personam in qua est, quia praesupponit secundum ordinem naturae paternitatem et filiationem, sicut et processio praesupponit generationem; et ideo non est personalis notio; et similiter (1) innascibilitas, cum non habeat oppositionem ad paternitatem, in eadem re subsistente esse potest; et quia negatio importata consequitur secundum intellectum in ea positionem principii, ideo non constituit personam, sed est in persona constituta per paternitatem.

Expositio textus.

Nihil quidem secundum accidens dicitur. Videtur

(1) Al. nec innascibilitas.

DISTINCTIO XXVII.

An eadem proprietates assignent Augustinus et Hilarius, et an istae sint quae dicuntur paternitas et filiatio et processio.

Hic quaeri potest, utrum proprietates quas Hilarius supra (dist. 26) assignavit, scilicet quod Pater semper est Pater, et Filius semper est Filius, sint illae eadem proprietates quas Augustinus superius (ead. dist.) distinctit, dicens, proprium esse Patris quod genuit Filium, et proprium Filii quod genuit esse a Patre; et Spiritus sancti quod ab utroque procedit; ac deinde utrum et istae sint illae quae dicuntur paternitas, filiatio et processio. Videtur quod non sint eadem proprietates quas ponit Hilarius, et illae quas ponit Augustinus. Si enim eadem sunt, idem est ergo Patri esse Patrem et genuisse Filium, quod utique quidam concedunt. Si autem hoc est, cui ergo convenit ut sit Pater, et convenit genuisse Filium. Natura ergo divina si Pater est, genuit Filium. Si vero non genuit, Pater non est. Sed quis audeat dicere, aut quod ipsa genuit Filium, aut quod ipsa Patrem non sit? Si autem ipsa Pater est, nec Filium genuit, non est ergo idem dicere aliquid esse Patrem et gignere Filium. Et ita non videtur una eademque esse proprietates.

Responsio, ubi ostendit eandem esse proprietates.

Ad quod sine praerogative aliorum dicimus, quod eadem

ratio haec non valere; quia multa sunt accidentia inseparabilia, quae semper consequuntur subjectum inamissibiliter. — Ad quod dicendum, quod omne subjectum accidentis potest intelligi sine accidente, quamvis quandoque accidens inseparabiliter sequatur subjectum; et ideo, quia ipsum suppositum relationis non potest intelligi sine relatione, cum ipsa relatio sit suppositum subsistens, non potest esse accidens. In omni enim accidente quod advenit, est quaedam compositio subjecti ad accidens, propter quod sine eo intelligi potest; et ubi est compositio, est mutabilitas quantum ad naturam compositionis; quia omne quod compositum est, divisibile est, nisi aliqua causa impediatur.

Item *Omnes enim homines filii Dei sunt factura*, id est creatione; non tamen omnis creatura habet nomen filiationis, sed solum illa quae ad imaginem est. Vel melius. Homo dicitur filius factura etiam per adoptionem, quia cum prius non esset filius, factus est filius; et non habet hoc ex origine nativitatis suae quod sit Filius Dei, sicut habet aeternus Filius. Et haec expositio consonat sequentibus. De hac filiatione adoptionis dicitur in 5, dist. 10, qu. 5, art. 1.

Nec quidquam proprie (1), nisi Filius. Hoc dicit, quia filiatio est tota substantia ipsius; unde essentia divina non excluditur, quia essentia divina in Filio est filiatio. *Origine non adoptione.* Hoc est contra Nestorium et Photium, qui dicebant, aliam esse personam Dei et hominis; et ita sequitur quod filius hominis non sit Filius Dei naturaliter, sed per adoptionem. *Veritate non nuncupatione.* Contra Sabellium, qui dixit his nominibus, Pater et Filius nullam distinctionem in re subiacere. *Nativitate non creatione.* Contra Arium, qui dixit Deum Filium creaturam. Alia patent ex his quae dicta sunt de Spiritu sancto, dist. 18, qu. 1, art. 2.

(2) Forte ipse ut in textu.

proprietates notavit uterque, licet diversis verbis. Quod enim Hilarius (12 de Trinit., circa med.) ait, ita intelligi debet. Proprium Patris est quod semper Pater est; id est, proprietates Patris est, quae semper Pater est. Semper vero Pater est, quia semper genuit Filium. Ita et proprium Filii est quod semper Filius est; id est, proprietates Filii est, quae semper Filius est. Filius vero semper est, quia semper genuit esse. Ergo proprietates quae Pater Pater est, est quia semper genuit. Et haec eadem dicitur paternitas vel generatio. Et proprietates quae Filius semper est Filius, est quia semper genuit vel natus est vel origo vel nascibilitas. Sic et proprietates quae Spiritus sanctus est Spiritus sanctus vel donum, est quia procedit ab utroque; et haec eadem dicitur processio. In praemissis ergo locutionibus eadem significatae sunt proprietates.

Quomodo non est omnino idem dicere esse Patrem, et genuisse vel habere Filium, et ita de aliis.

Nec tamen videtur nobis omnino esse idem dicere aliquid esse Patrem et genuisse Filium, vel aliquid esse Filium et habere Patrem, vel esse Spiritum sanctum et procedere ab utroque; alioquin Pater non esset nomen hypostasis, id est personae, sed proprietatis tantum; similiter Filius